

non mutilatè peractum fuisse ; Hoc tamen non obstante, Laicis alteram speciem ex usu S. Cœnae grandi & horrendo sacrilegio surripuerunt. Sess. 13.

Definitio
peccati in
Spiritu
Sanctum.

52. Peccatum igitur in Spiritum Sanctum est defectio ab agnita veritate doctrinae Evangelicae voluntaria, deliberato suscepta proposito, & cum blasphemia in Spiritum gratiae ac veritatem prius agnitam, finaliq; impœnitentia conjuncta.

53. Dicitur autem hoc peccatum blasphemia in Spiritum Sanctum, non, quòd non Patri etiam Filioque adversum illud sit & inimicum, aut quòd Spiritus Sanctus utroque major & præstantior: Nihil enim, ut D. Athanasius in Symbolo confitetur, in Trinitate prius aut posterius, nihil majus aut minus.

54. Verùm, cùm Spiritus Sancti proprium officium sit illuminare, & veritatis lucem ac fidem in Christum, in hominibus accendere, fovere, conservare: Ideò qui ab eo illuminatùs novit veritatem doctrinae caelestis, eam verò nihilominus contra conscientiae suae dictamen, destinata malitia exortus blasphemo ore abnegat, & sic non modò verbum Evangelij sed ipsum quoque testimonium Spiritus Sancti, convincentis ipsos erroris; scientes volentes imò contra hunc ipsum Spiritus Sancti ἔλεγγον pertinaciter oppugnat.